

plectitur, ita quòd ab inuicem non poterint separari. In-
sipientes & falsi Alchimistæ audientes aquam, putant
eam aquam esse vulgi. Si autem libros Philosophorum
legissent, vtiq; scirèt eam rem aquam esse prægnantem.
Quæ tamen absq; corpore suo cum quo coniuncta est,
facta sunt vna aqua permanens.

Hinc dicit Auicenna : Quàm diu apparuerit nigre-
do, dominatur obscura fœmina, & ipsa est prior vis no-
stri lapidis : quia nisi primò fiat nigrum, non fit al-
bum vel rubeum, eò quòd rubeum ex albo & nigro est
compositum.

*Sequitur opus dealbationis: Et qualiter lapis
noster debeat dealbari.*

Audi Rosarium : Medicina nostra est vna in essentia,
& in agendi modo: quoniam necessarium est, quod il-
la eadem medicina, scilicet alba nunquam fit rubea, nec
potest rubificari, nisi primò fuerit alba. Et ratio huius
est: quia nemo potest transire per primum ad tertium
nisi per secundum. Sic etiam non est transitus de nigro
ad citrinum, nisi per album: quia citrinum ex multo al-
bo, & purissimo nigro est compositum. Ideoque hanc
medicinam albam & rubeam facere nequimus, nisi
primò fuerit nigra, & deinde alba etiam: medicina al-
ba & rubea non differt inter se in essentia, sed in eo tan-
tùm differunt, quod rubea maiorem inducit subtiliatio-
nem & longiorem decoctionem in regimine sui ignis.
Et hoc est ideo, quia finis operis albi, est principium
operis rubei, & quod completum est in vno, incipien-
dum est in alio. Nam totum magisterium nostrum v-
no modo incipitur & finitur, scilicet coquendo. Hinc
dicit Rosarius : Argentum viuum ex ære nostro subli-
matum, ex quo omnia fiunt, est aqua munda & tinctu-
ra vera. Nam ex ære nostro fit sulphur album, quod æs
nostrum dealbat, & quo spiritus retinetur ne fugiat. Illud
autem sulphur non poterit æs nostrum rubificare, nisi
priùs operatus fueris ad album, eò quòd solū sulphur
album æs nostrum dealbat. Quare liquet, quod tanta
erit pulchritudo æris nostri, quanta fuerit albedo sul-
phuris. Ideo in Turba Philosophorum dicitur: In co-